

## SCENA VIII

MANLIUS, SERVUS, PRIORES.


MA. Quis hic primus loquutus? — SER. Sextus. — MA. Quae nomina  
Sunt illis, qui illum circumsistunt, indita civibus?  
SER. A dextra Tullus, Marcus a sinistra civis est.  
MA. Boni Quirites, vos salutat Caius Manlius,  
Nempe Sextum, Tullum, Marcum civis optumos.  
Quaeso vos, in comitiis ut sitis auxilio mihi  
Ad consulatum. — SE. Pol tua merita Romani quidem  
Noverunt atque etiam aestumant, tamen illa clarius  
Lucerent, si tua facta testimonio essent Regulum  
Liberum fore. — MA. Istaec verba plurumi aestumo.  
AT. En adspectate, cives. — TU. St, servate! nam consul venit.


## SCENA IX

POPULUS, METELLUS consul cum SENATORIBUS et LICTORIBUS,

PRIORES.

PO. Tibi, Metelle, faveat fortuna! — AT. Eheu, vae mihi!  
ME. Quoi clamas eheu? — AT. Ecastor mihimet ipsi miserae,  
Quoios necatur animus. — ME. Atilia, i domum  
Ad telam; in foro esse libero matronam dedecet.  
AT. Tu dicis hoc matronam dedecere? Nam quondam fui  
Matrona a Romanis honorata; in humilem sumissa sum  
Iam servitutem, ex quo meus mihi vir ille animi maxumi  
Servos appellatur. — ME. Patres, eamus. — AT. Eheu! neglegis  
Mea lamenta, quom sis Romanorum consul civium?  
ME. Eloquere dum, mulier, sine mora et breviter quid cupis?  
AT. Hoc iam animus temet monuit, quom postquam sum facta vidua.  
Epistolam ad te scripsi; res non est dicunda fusius.  
ME. Mea sunt verba aperta; quodsi ego, ut consul, istuc agam,  
Quod ut Metellus cupio, tuos pridem iste Regulus,  
Qui etiam meus est, foret iam liber; non querimonias  
Tuas exspectassem, ut viderem illum, quem toto pectore  
Videre concupisco. Ast officium obdurat mollitudinem.  
Nam non licet mihi, illum non possum liberare; cur?  
Hoc explanabo frequenti in senatu hodie.  
Ne tu fles, Atilia; hoc me adficit dolore maxumo.  
AT. Ecastor feminae Romanae sunt hae lacrumae.  
ME. Istae graviter gravant animum Romani consulis,  
Qui debo saluti multorum cavere civium.  
(Ad proximum numerum).





*Pauca exemplaria supersunt*

JOSEPHI FORNARI operis, cui titulus:

## COMMUNIA VITAE

Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda.

### Editio altera locupletior.

Venit libell. italic. 8; quibus addenda erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exteris nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur eiusdem auctoris Mileiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

### FRIDIANUS-FRANCISCULI PRANDIUM

Singulæ pretio italic. libell. 2.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integralm ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXV, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 525 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 1050, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XXIII

Romae, Mense Maio MCMXXXVI

Fasc. V

# ALMA ROMA

## LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium subnotationis an. MCMXXXVI est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequas; ante solvendum rectoque tramite mittendum sive ad JOSEPHUM FORNARI doctorem Romam, Via del Governo Vecchio, 96 sive ad Typographiam Polyglottam Vaticanam, Città del Vaticano.

### HYLE

#### De Materia Prima<sup>1</sup> eiusque in rerum naturas deductiones ad mentem Stagiritae et Aquinatis

*Carmen in certamine poetico Hoeufftiano ann. MCMXXXV praemio aureo ornatum*

Alma Parens, rerum Sapientia dia creatrix,  
Artificis proles Primi,<sup>2</sup> qua condita constat  
perduratque rotans mirandi machina mundi,  
numine, Diva, tuo, sit fas impervia vulgi  
mentibus indocilis facili mihi promere cantu.

Est sine principio Deus unus, temporis ex-  
[pers,<sup>3</sup>  
primus et extremus, praesens, immensus ubique,  
non tamen extensus spatiove coercitus ullo,<sup>4</sup>  
Virtus, Mens et Amor, sine motu Vita, Voluntas,  
Optimus, Omnipotens, Sapiens, qui trinus et  
[unus  
Se fruitur nullius egens Seque usque beatus.

<sup>1</sup> Materia prima definitur a philosophis: «Principium intrinsecum primum potentiale substantiae corporeae», vel etiam: «Potentia substantialis corporum». Est autem subiectum mutationum substantialium, unde ab Aristotele dicitur: «Primum uniuscuiusque subiectum, ex quo insito, non per accidens aliquid fit; et in quod si quidpiam interit, ultimumabit» (*I Physic.*, text. 82). Forma substantialis est: «Principium primum actuale substantiae corporeae». In viventibus appellatur anima. Hoc sensu accipitur passim in carmine.

<sup>2</sup> Ego ex ore Altissimi prodigi primogenita ante omnem creaturam (*Eccl.*, XXIV, 5).

<sup>3</sup> Cfr. S. THOM., AQUIN., *Summ. Theol.*, P. I. q. X, art. 21.

<sup>4</sup> Id., ib., q. VIII, art. 2.

Cetera quae prostant repetunt exordia ab Ipso  
Ipseque principium, fons causaque libera rerum.  
Gignit amanter Amor, non utilitate coactus  
inque novos quaerit Sese diffundere amores.<sup>5</sup>

Nil fuit aeternum: Chaos atque informis abyssus

nomina sunt tantum, queis mens studiosa sciendi  
nititur incassum nihili sibi fingere formam,  
fallitur et misere specie dum vestit inane.

Iuvit at aeternam Lucem, quae lumine fulget  
una suo, similes alias accendere luces.  
Tunc super intonuit tenebras vox illa creatrix,  
quae superat fines nihili insuperabilis una.

Ecce repente rudis surgit confusaque massa,  
pendula per vacuum, nullo fundamine nixa,  
pondus iners, crassa circum caligine tecta,  
horribilis, nulla stabili decorata figura,  
non exuta tamen forma seu prorsus inanis;<sup>6</sup>

<sup>5</sup> Id., ib., q. XIX, art. 4.

<sup>6</sup> «Si informitas materiae accipitur pro parentia omnis formae, impossibile est dicere quod informitas materiae tempore praecesserit vel formationem ipsius, vel distinctionem... Creationis terminus est ens actu; ipsum autem quod est actus, est forma. Dicere igitur materiam praecedere sine forma, est dicere ens actu sine actu, quod implicat contradictionem (Id., ib., q. LXVI, art. 1).

quippe Sator rerum Summus quaecumque creavit  
rite sui ornavit vultus imitamine dii,  
et prodire nefas aliquid quod combibat auras  
nec Patris aeterni ferat immortale sigillum.

Materies vero formae cuiuslibet expers  
(perpetuo species rerum quae suscipit omnes,  
in formas alias iterum revolubilis usque)  
non aliquid certum est quod mente prehendere  
[possim:

non color aut pondus, corpus vel spiritus ullus,  
nec tamen est nihilum, nihili at confinia tangit,<sup>7</sup>  
corporeisque subest formis fulcimen earum,  
nunc his nunc aliis gaudens, atque usque su-

[premi,  
pallida quatumvis, cunctorum Auctoris imago.<sup>8</sup>

Me fugit interea dum ipsam cognoscere nitor  
ingeniique mei totum languescit acumen.<sup>9</sup>

Hanc Faber aeternus minime produxit in auras  
nudatam specie penitus formaque carentem,  
exstitit immanis sed primum corporis instar,  
cuncta sinu rerum servantis semina feto,  
ordine digestum nullo glomeramen opacum.

Nec sol luce polo nitida rutilabat ab alto,  
nec tenebras tristis lustrabant sidera noctis,  
mortis at exstabant arcana silentia late,  
voce nec humana, cantu neque erupta volucrum;  
sulphura dumtaxat liquida atque ignita metalla,  
cuncta elementa simul dire pugnantia secum  
primigenum rauco resonabant murmure mundum.

<sup>7</sup> Ad rem Aristoteles: « Materia prima per seipsum neque quid, neque quantum, neque aliud quidquam dicitur quibus ens determinatur, neque etiam negationes eorum; est autem quoddam de quo horum quolibet praedicatur » (*VII Metaphys.*, text. 8). — S. Augustinus ita describit primam mundi materiam: « Nonne tu, Domine, doquisti me, quod priusquam istam informem materiam formares atque distingueres non erat aliquid: non color, non figura, non corpus, non spiritus? Non tamen omnino nihil: erat quaedam informitas sine specie » (*Confess.*, lib. XII, c. 3). — « Alii accipiunt informitatem non secundum quod excludit omnem formam, sed secundum quod excludit istam formositudinem et decorum, qui nunc appetit in corpore natura, et secundum hoc dicunt quod informitas materiae praecesserit formationem eiusdem » (S. THOM., ib., q. LXVI, art. 1). De hac materia informi agit OVIDIUS, *Metam.*, lib. I.

<sup>8</sup> Cfr. S. THOM., *De veritate*, q. III, art. V.

<sup>9</sup> « Quia omnis cognitio est per formam, haec materia prima est scibilis secundum analogiam tantum etc. » (S. THOM., ib., *II Sent.*, dist. XII, q. I, art. 4). Ad rem S. Augustinus: « Humana cogitatio conetur eam (materiam primam) vel nosse ignorando, vel ignorare noscendo » (*Confess.*, lib. XII, c. V).

Tunc Deus hanc vitae foecundans Flamine  
[massam  
corporis omne genus tandem producere iussit.  
Numinis imperium confestim elementa faces-  
[sunt:  
congeries candens riget atque fragore dehiscit.  
Protinus hinc glomerantur aquae pelagique  
[profundi  
sternitur unda tumens spumantem et verberat  
[actam.

Purpureis Aurora rosis pia nuncia solis  
tempora tunc cinxit, lux splenduit alma diei,  
luna per aethereos coepit procedere calles  
et convexa poli micuerunt undique stellis.  
Explicuere novas montana cacumina sylvas,  
floribus arrisit variorum ripa colorum  
mollibus et zephyris per agros undavit arista.  
Certarunt volucres grato modulamine cantus  
nunc resonare nemus nunc dulces condere nidos;  
ardua dumosa balavit rupe capella  
lanigeris gregibus pascentibus herbida prata;  
insonuit vallis tremulis hinnitibus ima  
luxuriantis equi; bos liber mugit arvis;  
noctivagus stridit per sylvas lugubre bubo  
et lupus incepit tacitas ululare per umbras.

Tum Pater et Verbum communeque Flamen  
[Amoris  
efficiunt hominem coeno, sed fronte decora  
cuius et obtutu divina renidet imago,  
velle dedere bonum verumque capessere mente.

Ite procul, scioli recordes, ite recentes,  
ludicra doctrinae fuso figmenta secuti,  
queis genus egregium donavit simius olim,  
cuius progenies, multis labentibus aevis,  
exuit horrentes villos caudamque retortam,  
deficiente usu, posuit, cute deinde polita,  
clunibus assurgens naso exsertoque repando,  
sensim appetit homo. Scite, nae! tundite palmas!

Siccine desipitis, fatui? Deus abscondit hirto  
nos nimium quantum bruto ratione carente;  
limitibus certis etiam natura coeret  
quodque genus rerum, saltu neque praeterit ul-  
tra.<sup>10</sup>

Atqui multiplices miro Deus ordine primum  
omnes digessit species; tum denique formis

<sup>10</sup> Est in viventibus realis differentia in natura specifica; quare absurdum est theoria descendantiae seu evolutionis, quam praesertim Carolus Darwin, An-  
glus, illustravit et defendit. Sed huiusmodi commen-  
tum fere obsolevit.

prodiit innumeris variisque decora gradatim  
materies extans una sub imagine cuncta.

Non tamen his semper gaudet nec fulcit eas-  
[dem,  
abiicit at veteres, adipiscitur usque recentes.  
Materies siquidem formam quae possidet unam  
hac minime expletur penitus, iugisque cupido  
urget eam semper formarum dira novarum.  
Dum fructus prima, si sensim infesta vicissim  
semina succidunt, haec indignata recedit  
et pariter moritura brevi nova sufficit illam.<sup>11</sup>

Sic radiis foenum languescit solis adustum,  
ut queat humores sterili praebere novali;  
sic cytus viridi qui cespite manat odorem  
ingluviem pecoris crescit satiare voracem.  
Et cito verna, puer, vitae cui tempora florent,  
lilia flaccescent tua nunc quibus ore nitescunt;  
spiritus at vivax qui vestit membra tenella  
et speciem donat manet usque in saecula super-  
[stes.

Namque suo gremio nequaquam procreat illum  
sordida materies ipsumque superba coeret,  
Conditor at summus primum demittit in artus.

Materies animum sane qui gignere nostrum  
bruta potest, superat sublimi quam ille volatu,  
percipit et subigit, rimatur mente sagaci,  
indomitasque sinu quas occulit invida vires  
detegit atque suas dociles facit esse ministras?

Quaelibet humanus sibi spiritus arrogat ausa:  
ille vel oceani caecas invadit abyssos  
gurgite et absorptum rursus male diripit aurum;  
perterebrat montes, vestigat viscera terrae,  
scandit ad aethereas sedes et ponderat astra;  
doctus et aeternas orbis quoque pandere leges  
perque gradus rerum Primam cognoscere Cau-  
[sam.

Materia prodire nequit quod perdomat illum  
nec parili eiusdem porro succumbere fato.<sup>12</sup>

<sup>11</sup> Potentialitas materiae non terminatur nisi per  
adoptionem formae ad quam est in potentia. Unde  
materiae primae, quae natura sua est apta ad plures  
formas, non poterit potentialitas adaequate expleri, nisi  
per actualem adoptionem omnium simul formarum,  
ad quam apta existit. Non enim una aliqua forma  
recepta tollit potentiam quam habet ad alias formas etc.  
(Cfr. S. THOM., *Distinct.*, q. XII, art. 1).

<sup>12</sup> Anima humana est intellectualis; quia intel-  
lectualis, spiritualis; quia spiritualis subsistens inde-  
pendens a materia, proindeque incorruptibilis et im-  
mortalis (Cfr. S. THOM., *Summ. Theol.*, p. I, q. LXXV). — Anima humana non potest fieri nisi per creatio-  
nen, quod non est verum de aliis formis. Cuius ra-

Formae at inextincta quas usque profundit ab  
[alvo

materies tantum genitrix penitusque coarctat,  
tam forti proprio fulcro nectuntur amore,  
ut miserae omnino, cum dissociantur ab ipso  
vanescant, nequeant illuc iterumque redire  
aut amicire novos cuiusvis corporis artus.

Qua generantur humum spectant animalia  
[putrem  
moreque constanti, melioris nescia vitae,  
congeniti servant instinctus bruta tenorem.

Integrat aequalem nascentis origine mundi  
sole sub occiduo moestum philomela canorem;  
non secus ac olim, cucurit stipite gallus  
exoriens die; gloctis gallina sub alas  
cum teneros cogit fetus; frumenta recondit  
prospiciens hiemem sollers formica futuram;  
nunc etiam nidum ritu configit eodem  
implicitum coeno praenuncia veris hirundo;  
gloctorat anguiculis invisa ciconia tecto;  
visceribus tenues educit aranea telas;  
insequitur mures feles, canis obvius ire  
festinat cevens redeunti rure colono  
nullaque profectus in eis est signa tueri.

Non ita natus Ada: saxo confudit acuto  
nam primum fratrem, chalybem dein conflat in  
ensem, applicat et pharetrae circumlita spicula viro.  
Nec satis: horrificas flammati pulvere adactas  
eminus immittit sphæras immane crepentes;  
nubila velivola scandit nunc invia cymba  
missiliumque pluit late saevam inde procellam  
fumiferumque brevi suffocans ora venenum.

Convenit hic merito lacrimas profundere ama-  
[ras  
inque suos fratres odio exercere perenni  
saevitatem tantam, non autem promere questus  
mactandam teneram super agnam, matris aba-  
[ctam  
ubere, lambentem dextram lanionis atrotem.

Pythagoras sane fabellas garrit ineptas,  
dum pecudum refugit caesarum mandere carnes,  
effingens animas in eis post fata renasci  
inque novos artus variis remeare figuris.  
Cui semel haesit, eam nimurum forma reposcit  
materiam semper; natura mutuuus ordo

tio est quia quum fieri sit via ad esse, hoc modo ali-  
cu competit fieri, sicut ei competit esse (Id., ib.,  
q. XC, art. 2). Hinc « traducianismus » sive corpo-  
reus sive incorporeus seu « generatismus » repugnat.

inter utramque viget, nequeunt et foedera solvi principiis ipsis rerum manantia primis.<sup>13</sup>

Sic dum perpetuo mutant formasque vicesque cuncta, novos eadem retegit naturaque vultus, rursus praecipiunt volvuntur et omnia gyro, praepetibus pennis emersit mobile tempus assidueque rotam cooperunt vertere saecula.<sup>14</sup>

Omnia mutantur, simul et mutabitur orbis, qui ceu navigium devectum immane per aethram praecipitem ignotas cursum maturat ad oras.

Scilicet adversis quidquid coalescere cernis principiis, virus gremio lethale recondit. Volvitur alternis mortis vitaeque duellum ipsaque ad exitium festinat fabrica mundi.

Hinc, nisi mens errat commenta secuta dolosa, cum tandem attigerit vis illa aequabile punctum, quae modo disparilis cunctis est didita rebus; fluxus et aethereus gignens fulgetra quiescit vinctus ab opposito tota tellure latente, atque ruet pelagus discedens gurgite vasto, obiicibus ruptis, tectas implere cavernas, resque calor cunctas aequo moderabitur aestu, nubila nec pluviam tribuent zephyrique silescere, protinus immani natura fragore fatiscer, impia in aeternam labentur saecula noctem, Oceanusque simul terraeque et sidera cuncta in Chaos horrendum rursus confusa redibunt.<sup>15</sup>

Coniicit hoc ratio, firmant oracula dia, teste Deo, perhibent quae fata novissima mundi et quae praevenient supremam signa ruinam.<sup>16</sup>

<sup>13</sup> Animae plantarum et animalium non sunt intellectivae, et propterea spiritualitate et subsistentia propria carent; idcirco ad corruptionem compositi, ipsae quoque corrumpuntur. Hinc demonstratur absurdum theoria metempsychosis sive metensomatosis. A fortiori autem haec repugnare dicenda est, si applicatur animae humanae; nam unaqueque singularis anima habet essentiale habitudinem ad suum corpus, cum quo constituit unum per se essentiale; nam sicut forma in eadem specie non multiplicatur nisi ad multiplicationem materiae, ita unaqueque singularis forma in sua entitate dicit trascendentalem ordinem ad suam materiam. Proinde anima quae unitur uni corpori non potest alteri uniri. Metempsychosim docuit Pythagoras (Cfr. OVIDIUM, *Metam.*, lib. XV). Huic commento adhaeret etiam VERGILIUS, lib. VI, 745 et seqq.

<sup>14</sup> Tempus definitur ab Aristotele: « Numerus motus secundum prius et posterius ».

<sup>15</sup> Iuxta physicos, quamquam invariata manet « energiarum » summa, omnes tamen vires naturae ad aequilibrium tendunt, quod utique huius spectabilis ordinis finem adducet.

<sup>16</sup> MATTH., XXIV; II ad Thess., II.

Relligio edictis passim vexata cruentis rursus inaccessas templis petet acta latebras; decipient vulgus promentes falsa prophetae, surget et insultans Christi adversarius atrox. Impia in arma ruent populi vastoque tumultu, igne, cruento, minis terrarum cuncta flagrabunt. Dira fames perimet late et contagia plebem, insoliti quatient urbes terrasque tremores; tabescere homines monstris caelestibus acti, sol quoque pallescat, tingetur sanguine luna, astra cadent caelo ficus velut arbore grossi,<sup>17</sup> instar et immanis prorsus combusta peribit terra rogi, culpis toties temerata pudendis, flammaque sic vindex mundi delicta piabit.<sup>18</sup>

Tum nova terra, novi condentur denique [caeli,<sup>19</sup> qui subolem dio signatam sanguine Christi sedibus excipient aeterna in saecula beatam, atque ita rebus erit Deus omnia in omnibus [unus.<sup>20</sup>

VICTORIUS GENOVESI, S. I.

<sup>17</sup> Apoc., VI, 13.

<sup>18</sup> II PET., III, 10.

<sup>19</sup> II PET., III, 13.

<sup>20</sup> Quum autem subiecta fuerint illi omnia, tunc et ipse Filius subiectus erit ei qui subiecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus (I Cor., XV, 18).

## EX BATAVIA

### Certamen poëticum Hoeufftianum.

Accepimus et libenter edimus:

De triginta duobus carminibus ad certamen anni MCMXXXV missis, ita est iudicatum:

Praemium aureum reportavit Carmen c. t. *Hyle, De Materia Prima Carmen Didascalicum*. Sumptibus Legati in volumen recipientur carmina q. t. *Mors laniata* (si poëta scidulae aperienda dederit veniam) et *Feriae Montaneae*.

Sequuntur omnium carminum nomina:

1. *Quintus Horatius Flaccus*. 2. *Somnium Matris*. 3. *Iordanis Verba*. 4. *Pri-*

*mum I. Christi Nativitatis Festum*. 5. *De Fuga in Aegyptum*. 6. *Pueri ad Tumulum Pii Decimi Pontificis Maximi*. 7. *Somnium*. 8. *Hyle, De Materia Prima Carmen Didascalicum*. 9. *Ave, Maria!* 10. *Propempicon*. 11. *In Latinum Sermonem Di-verbium*. 12. *Mors laniata*. 13. *Salvete, o Rivi, o Fontes, Amnesque fluentes, Aequora vasta, Lacus*. 14. *Puerilia*. 15. *Feriae Montaneae*. 16. *De Fascibus*. 17. *As- trid*. 18. *Cum Musis Colloquium*. 19. *Rex « Miles »*. 20. *In Bacchum*. 21. *Letizia, Napoleonis Mater*. 22. *Pausias et Glycera*. 23. *Iudas*. 24. *Modici Familia Laris*. 25. *Furor Lucreti*. 26. *Epigrammatum Libellus*. 27. *Laudes Horatianae*. 28. *Pueri inter flores rixantes*. 29. *Fides novissima militis gloria*. 30. *Aeneas*. 31. *Prope Sabinas*. 32. *Ecloga I*.

Ad novum certamen cives et peregrini invitantur his legibus, ut carmina latina non ex alio sermone versa nec prius edita argumentative privati nec quinquaginta veribus breviora, nitide et ignota iudicibus manu scripta ante kal. ian. a. MCMXXXVII mittantur ad « het Bestuur der Koninklijke Akademie van Wetenschappen, Trippenhuis, Amsterdam », munita sententia, item inscribenda scidulae obsignatae, quae no-men et domicilium poëtae indicabit. Ceterum iudicibus gratum erit, si poëtae in transscribendo portable prelum britannicum (*type-writer*) adhibuerint, ac si, quemadmodum in editionibus poëtarum fieri solet, sextum quemque versum numero in-signiverint.

Praemium victoris erit nummus aureus quadringentorum florenorum. Carmen praemio ornatum sumptibus ex Legato facien-dis typis describetur eique subiungetur alterum laude ornatum, si scidulae aperienda venia dabitur. Id autem ante kal. iul. proximas fieri debet.

Exitus certaminis postremum in con-ventu Ordinis mense aprilii MCMXXXVII pronuntiabitur, quo facto scidulae carmini-

bus non in volumen receptis additae Vul-cano tradentur.

Amstelodami, die 1<sup>o</sup> m. maii  
a. MCMXXXVI.

P. SCHOLTEN,  
Ord. lit. acad. reg. ab actis.

Nisi ipsi scivissemus et vulgavissemus, victoris nomen et hoc anno lateret. Ecquid hoc? iteramus.

Et nomen poëtae qui *Ferias Montanas* cecinit nos patefecimus, quemadmodum et alterius viri, qui magna laude honestatus est, hodie enuntiare possumus. Is est IOSEPHUS FAVARO, doctor medicus, anatomiæ professor in athenaeo Mutinensi, et ipse plures iam annos *Almae Romae* socius. Latinitatis amor, quo Favaro tantum flagrat, ut latine disciplinam suam doceat iubeatque discipulos latine in schola loqui, pro meritis praemium assequutus est; de quo vehementissime eximio viro gratulamur.

## ARS TRAGICA

### APUD SOPHOCLEM ET SHAKSPERIUM

Quae et quanta discrepantia sit inter tragicam artem antiquam et recentiorem facile intellegemus, si Sophoclem et Shaksprium respexerimus; ii enim veluti anti-stites artis tragicae, ille apud veteres, hic apud recentiores, habentur. Quam rem nos, ratione huius ephemeredis naturae habita, breviter strictimque prosequemur.

Inter artem tragicam antiquam et recentiorem hoc maxime est, quod haec non solum hominum facta, sed etiam intimos et vehementes sensus et mores effingit; suavis et varia est et hominibus et tempo-

ribus maxime accommodata; ars autem tragica antiqua, uti ab Aristotele est definita (*Poet.* p. 1450-A), est imitatio non hominum, sed actionis (*μίμησις οὐκ ἀνθρώπων ἀλλὰ πράξεως*); quare aliena fere videtur ab hominibus et ab eorum curis. Cuius rei causae multae inveniuntur, quae *forma* et *natura* dissimili utriusque artis continentur.

Atque primum de theatris et de actoribus dicamus.

Immensa erant Graecorum theatra, quo spectatores sub divo conveniebant; actores vero, quorum numerum per exiguum esse nemo ignorat, personis et cothurnis ornati ita in scena eminebant et eo ordine eaque dispositione suam quisque partem agebat, ut non homines, sed potius *viventes statuae* viderentur.

Contra si recentiorum theatra exigua sunt, sine choro, sine orchestra, actores et plurimi in scenam loquentes induci possunt et soluti personae et cothurni impedimenta, modo oculorum motu, modo corporis gestibus animi tempestates facile demonstrant.

Quod si ad originem transeamus, Graecorum tragediam a religione, vel potius a Dionysii cultu ortam eiusque sacris semper consociatam esse videmus. Apud Sophoclem vero, quamquam homines maxime excellunt, Dii tamen non minimas partes agunt; summum iustitiae officium Iovi quidem tribuitur, sed fatum adhuc adparet ex eius tragediis. In quibus mortui non omnes, ut ita dicam, moriuntur; sed spes animorum immortalitatis ita languide effulget, ut nulla fere esse videatur. Etiam apud Anglos, uti apud Italos, tragedia a divinis ritibus orta est, quum initio Christi vitam et mortem imitaretur; sed celeriter religioso illo involucro (sit venia verbo) discussio, sensus et facta hominum exprimens ad summum per Shaksperium fastigium evecta est. Apud hunc « fatum ne regnet, an summa praeditus iustitia Deus »

perdifficilis est quaestio; nihil enim certi affirmari, nihil negari potest; hoc tamen omnes concedunt et assentiuntur, Sophocles tragediam omnem hominibus vitam mala mixta bonis continentem exprimere atque effingere.

Chorus autem in antiqua tragedia nullo modo deesse poterat; quin etiam initio primas partes agebat, ut in Aeschyli *Supplcibus* videmus; deinde circumscriptus et ad secundas partes detrusus modo uti actor animo demissos excitat, ardore aut ira effrenatos mitigat, virtutum laudat, vitium reprehendit; modo uti spectator quid de rebus actis sentiat exprimit; utrisque partibus favet, ita tamen, ut quas potius sequatur vix intellegi possit. Itaque huiusmodi chorus, qualis quidem habet Sophocles, apud Shaksperium nullus est.

Quod autem ad *tres*, quae dicuntur, *unitates* actionis, loci et temporis pertinet, magna inter Sophoclem et Shaksperium est discrepantia. Hic enim

#### *in medias res*

*Non secus ac notas auditorem rapit*

(Hor., *Epist.*, II, 3, 148); ac quamquam in rerum varietate actionem tuetur, tamen diuidum vitae hominis, uti est in *Macbetho* fabula, mutato scenaे apparatu et magno temporis posito intervallo, ante oculos ponit; Sophocles autem « discrimen vitae supremum » tantum peragit et quae ad originem et ad progressum fabulae declarandum valeant, per chorūm aut per nuntios profert. Res potius narratur, non agitur. Chorus autem a principio fere usque ad tragediae finem in scena permanet. Quorsum hoc spectat? Ad *temporis unitatem*. Nam chorus per totam fabulam in scena permanens « una cum spectantium animo temporis intervallo transilire nullo modo poterat ».

At multae aliae causae sunt, quibus ars tragica Sophoclea a Shaksperiana differt. Quid enim dicam de re metrica? Nam Sophocles tragedias suas a principio usque

ad finem numeris exornavit; versibus loquuntur magnificis non solum praeclarissimi actores, sed etiam nuntii, et saepe etiam servi; contra Shaksperius versibus mira cum arte orationem solutam adiunxit. Huc adde, quod tragicis graecis poëtis fabulas ab heroicis tantum aetatis ducere licuit, exceptis Phrynicō, qui cum suo periculo *Miletum captam* fabulam (cf. HEROD., 6, 21) et Aeschylo, qui *Persas* docuit: Shaksperius vero, materia undique sumpta, mirificas suas tragedias compo-suit. Praeterea Shaksperius in fabulis multa et iocosa adhibuit et comica et ridicula (cui enim non sunt nota, ut exempla proferamus, et scurræ facetiae in *Rege Learo*, et fossorum et Hamleti lepidissimum illud colloquium?), quibus rebus Sophocles in suis fabulis nunquam usus est. Quid denique dicam de magno temporis spatio, quod est inter Sophoclem et Shaksperium? « Tempora mutantur — uti dicunt — nos et mutantur in illis ». Leges, religio, cultus, doctrina, mores, omnia mutata sunt; quid mirum, si etiam ars tragica est mutata?

D. T.

## NOSTRA RES

### Ad renovandum latinae linguae usum.<sup>1</sup>

JOSEPHUS FORNARI, *Almae Romae* Moderator, clarissimo ac dulcissimo viro ANDREAE AVENARIO salutem plurimam.


Pergrata semper tua scripta nobis reduntur, eoque magis quum de rebus quae maxime nobis cordi sunt pertractant, ut in

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup. mens. Martii,

recentissimis litteris de renovando latinae linguae usu. In quibus quidem non sine animi mei expletione animadvertis te mihi in iis assentiri, quae caput totius rei dixerim: actum iri de lingua latina « si qui coepi perit vulgaris sermonis vocabulis terminations dumtaxat latinas adglutinare »; ego vero ulterius contendo, impugnandam in novis vocabulis licentiam tum etiam quum ad rem exprimendam iam in latinitatis thesauro exstant vocabula. Hoc sensu vox *posta*, et quae ab ea haurire volueris, haud probanda mihi videntur, quum omnia quae ad rem spectant, praeter *epistolare pittacium*, per vocabula iam in usu apud Latinos exprimi possint, quae summatim in litteris ad clarissimum doctorem Georgium Lurtium recensui; in quibus vero *rem tuam postariam non rem vehiculariam* dixi, sed *rem tabellariam*; rei vehiculariae appellationem unice retuli ad rationem indicandam transmissionis epistolarum aliarumque rerum a publico cursu per pluris generis vehicula factae.

Pro *postariis* habemus *tabellarios*, vel *tabellarum* (epistolarum, litterarum, etc.) *diribitores*, aut *distributores*; *mandatum postale* est *mandatum cursorium*, vel *cursuale*, ut *cursualis rheda* ad homines, merces ipsaque tabellaria transportanda erat vehiculum, et adhuc est, ubi ferrivia, per quam currus vapore aut electrica vi acti iter confidere possint, desiderantur: itemque *cursualis* navis ea appellata fuit, quae ad huiusmodi munera per aquas obeunda, adhibebatur.

*Gyrum* autem tuum sive *postalem*, sive *argentariae* cuiusvis mensae, pro eo quod vulgo *chèque* nuncupamus, minime intellego; vox enim *gyrus*, docentibus Forcellino et exemplis ab eo adductis, sive directe, sive translate, circumversionem in orbem, ambitum, circuitum, circulum denotat: nonne, in casu, *syngrapham* habemus? *Tabellarium* adde, et rem confeceris, servata, si placet, voce *gyro* actui illi, per



quem subscriptione tua syngrapham in tuum favorem emissam, in alterius vertas.

Satis sit in singulari tabellariae rei argumento limites ponere, quippe a Lurtio et a te mihi oblato; exemplumque esse potest quod propositam rem meam ad latinae linguae usum renovandum confirmet; ad quam utique administrativam, quasi dicam, virtutem afferent pontes illi *lexicorum*, in quibus et tu, expertus, insistis. Ut autem clarissimo Lurtio condicionem detuli pro ephemeredum latinarum moderatoribus, si-  
nas, mi Avenari, alteram tibi proponam; ut scilicet tot bonae voluntatis viros repe-  
rias, immo reperiamus, qui singulas al-  
phabetti literas sibi addicentes, verba sub  
iis in *totius latinitatis* lexicis, — Forcellini,  
Georis et etiam Vallauri, ut praecipuos  
auctores recensem, — perscripta scruten-  
tur, illa expromant quae et hodiernae vitae  
rebus respondeant, eaque ipsa vel alpha-  
betico pariter ordine, vel etiam, idque for-  
tasse magis utile, per capita — (*vulgo ma-  
terias dicimus*) — disponant, latinis ver-  
bis, ut tu auctor es, circumscribant, et  
quantum necesse fuerit hodiernis linguis  
reddant: ita latinae linguae restituendae  
optimos dabimus calculos, neque omnino  
necesse erit ut revertenti tuo ex mortuis  
Romano opus sit nummos impendere ad  
exterarum rerum lexicon sibi emendum;  
eoque magis quod, post impendium fa-  
ctum, necopinata res ipsi obvenire possit;  
*mandatum nempe postale* non copiam pe-  
satorum ei exhibere ab Americanis, Hispano-  
rum tardis nepotibus, ad ipsum missam,  
sed — ehi misero! — fisci iussum ad tri-  
buta et vectigalia pensitanda.

Vale.

*Sume spiritus, qui superent praesentium re-  
rum humilitatem, non ut sis elato animo et insolens,  
sed magno et excuso animo. Est enim ar-  
rogans qui propter res parvas se iactat et gloria-  
tur et conservos despicit; alto est animo qui  
mente est humili, et praesentis vitae umbras  
nihili esse existimat.*

CHRISOSTOMUS.

## CAELIMONTANUM<sup>1</sup>

Divo Philippo Nerio

Dum certat lauris, dum gaudet mille rosetis  
Caelimontanum rus adolere Tibi,  
Iam laetos calles, iam nitida compita densant  
Te, Nerì, circum Romulea en soboles.  
Tu unus namque animos, Tu nostras vincere  
[mentes]  
Praeceptor polles candidus atque Pater.  
Adspice quot circum Te spectent vividi ocelli  
Auriculae atque inhient dulcia conloquia,  
Ceu buccellae apium cupidae exhaustire corollas  
Cordis et occulto condere mella lare!  
Sic Tu Romulidum labentia reddere caelo  
Fata pius nosti, sic revocare Deo;  
Te dicente etenim mellito Te ore loquente  
Glebae ipsae exhorrent, infremit omne solum,  
Olim quod sensit Divi Tibi Flaminis hora  
Antra agitata flabris ac radiata focis,  
Rudera dumque fori resonantia verba retundunt  
Post Constantini Labara docta viae.  
His rursum expertam veteris vestigia flammae  
Romam Te Christus dat redemisse suam.  
Prodere quem sacrum iam non sinis ullibi Re-  
[gem]  
Sanctum quem statuis iam redamare Deum.  
Nam regere imperio populos si fata dederunt,  
Caesar quod dixit Romuli in arce sibi,  
— Israel cui adclamat Pilati ad limina saevus,  
Quemque unum regem clamitat esse Sion, —  
Uni Iesu nos renovatae caelitus Urbis  
Caesaris ac Regis dicimus Imperium.

VII Kal. Jun. a. MDCCCCXXXVI

IOACHIM ANTONELLI COSTAGGINI.

<sup>1</sup> Rus urbanum in Caelio colle, quo Philippus Ne-  
rius cum discipulis conveniebat. Lapis etiamnunc indi-  
cat locum ubi ille pueros sanctae religionis praecepta  
festivo suo more edocebat.

<sup>2</sup> Cfr. IOAN. XIX, 15.

## DE FONTIBUS IURIS ITALICI LINEAMENTA HISTORICA

AETAS NEO-LATINA.<sup>1</sup>

Cum iure romano, extra Corpus iuris, vagans viguisse videmus etiam *ius feudale* ad novissima usque tempora, ita ut canoni-  
ci civilisque iuris cultor non censeretur commemorandus qui feudalis iuris notitia careret. Erat autem *ius feudale* non tam scriptis legibus quam consuetudinibus, usi-  
bus, vel etiam abusibus contentum. Quibus in unum colligendis privati homines ope-  
ram dederunt; orti ita sunt *Libri feudo-  
rum* non in Italia modo, sed in Gallia et in Germania, ubi latius feudi obtinuerant. Antiquissima collectio iuris feudorum est quae nuncupatur ab Oberto de Orto, suc-  
cessive tamen aucta; huic alia successit, ad quam Iacobus Ardizzonius suam scri-  
psit *Summam feudorum* (1234-1250), at-  
que tertia, quae dicta fuit *Bononiensis* et *Vulgata*, quippe quae receptissima, et in Universitate Bononiensi, et fere ubique, atque serius novis additamentis est aucta: ideoque adiecta tandem est ad Corpus iuri-  
s, unde etiam *Summa feudorum Accur-  
siana* nominata est, quippe quam Accur-  
sius, ac postea alii glossatores glossis com-  
mentariis exornarunt.

In Gallia iampridem iuris feudalis col-  
lectiones concinnatae sunt, purius *ius  
feudale* complectentes, et in Germania  
memorandi sunt libri: *Vetus Auctor de  
beneficiis* (saec. XIII), *Speculum Saxon-  
icum* (saec. XIII), *Speculum Germanicum*  
(1235-1275),<sup>2</sup> *Speculum Suevum* (1277);  
quibus addendi feudorum minorum libri;  
ceterum pleraque ex iure feudali inveniun-  
tur passim recepta legibus, quae in Italicis  
regnis Communibusque latae sunt.

Imperatores novas ediderunt constitu-

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup.

<sup>2</sup> *Spiegel aller Deutschen Leute* 1235-1275.

tiones aut nova decreta; rarius tamen et fere nonnisi de publico iure, ut de pace in variis servanda provinciis, de commer-  
cio cum Ecclesia, de successione in re  
feudali, de poenis, etc.; accedit pax Con-  
stantinae, quae adiecta Corpori civili, cum  
eodem glossam habuit et commentaria. Fe-  
rebantur imperiales leges in diaeta aut im-  
periali aut italicica, et edicebantur authen-  
ticō exemplari, misso ad Universitatem  
Bononiensem, quasi ad significandum non  
minoris esse faciendas quam Corpus iuri-  
iustinianī.

Quum vero Imperator procul abesset ab  
Italia, multum relictum erat arbitrio prin-  
cipum moribusque populi. Feudatarii paci-  
scebantur cum populo, fere Germanico  
more, de certa norma iuris servanda, quae  
non quidem lex appellabatur, sed *pactum*,  
*promissio*, *status*, *concordia*, et plerumque  
consuetudinem sequebatur atque firmabat.  
Nota dignae *Promissiones Venetae* firma-  
tae sub Duce — (Doge postea dictus ita-  
lice fuit) — *Participatio* (814-820); item-  
que Urso (876), Petro Candiano (971),  
Petro Arseolo II (997), Dominico Flaba-  
nico (1032).

Praeterea *Consuetudines Genevenses*,  
iam an. 958 inter principem et populum  
statutae atque firmatae; renovatae postea  
an. 1056; *Securitates vel Concordiae Pi-  
sanae*, inter episcopum et populum sanctae  
exeunte saec. XI; *Consuetudines Pe-  
demontanae*, quas Petrus II scriptas sua  
auctoritate firmavit, novaque forma dein  
edidere Amadeus VI (1379) et Ama-  
deus VIII (1430), dato titulo: *Decreta  
seu Statuta vetera serenissimorum ac pra-  
potentium Sabaudiae Ducum ac Pedemon-  
tium Principum*. In inferiore Italia Assisas  
Regni Siciliae iam vulgaverat Rodgerius  
rex; postea *Constitutiones regni Siciliae*  
Fridericus II (1231) tribus libris compre-  
hensas edidit, quorum primus est de iure  
publico interno, alter de iure processuali,  
tertius de iure privato, feudali et poenali.

Postquam Suevorum nomen in Sicilia occidit, Carolingii in regno Neapolitano complura promulgarunt *Capitularia*, seu *Capitula regni*, quae commentariis exornaverunt Bartholomaeus Capuanus, Andreas Isernius et Lucas de Penna; in Sicilia autem Aragonenses emiserunt *Pragmaticas*, *Constitutiones* et *Capitula regni Siciliae*.

In ditione pontifica ius canonicum et civile fere exclusive vigebat; nam *Constitutiones Marchiae Anconitanae*, quas Aegidius Albornoz nomine Summi Pontificis promulgavit ius publicum magis quam privatum attingunt.

In Sardinia denique data est *Charta de Logu* ab Eleonora de Arborea (1395); quae sensim manavit fere ad universam insulam.

Notandum autem est, pressiore significacione statuta dicta fuisse systhemata iuris, quibus quaque libera Italica civitas sese ordinavit. Neminem latet in Roncalliae diaeta Imperatorem non parum libertatis civitatibus Italicis concedere coactum fuisse; quae, iugo excusso, novum sibi dare politicam et civilem ordinationem studuerunt, aptius et indoli et historiae et moribus populi Italici respondentem: elementa, ut par est, hauserunt ex iure romano, canonico, germanico et feudali, prout erant in populi moribus insita. Existit ita messis illa copiosissima Statutorum, quibus merito gloriari possumus; nam sapientia, moderatione, liberalitate, pietate splendent. De iure decernunt potissimum administrativo, constitutionali, poenali; atque etiam de iure civili, ut de statu personarum, de fundis, de dotibus, de successione, de proprietate, ac modo sequuntur, modo vero corrigunt aut compleant ius civile.

SYLVIA ROMANI.

*Quid faciant leges, ubi sola pecunia regnat?*

*Aut ubi paupertas vincere nulla potest?*

PETRONIUS.

## COLLOQUIA LATINA<sup>1</sup>

XIV.

### Concertatio scriptionis.

GERARDUS, OCTAVIUS, LAMBERTUS.

GERARDUS. — Magister die abhinc tertia materiam nobis communem ad scribendum dictavit; cras ad meridiem ostendenda est scriptio. Lambertus suam praedicatione effert, meam vilipendit, quam tamen nondum vedit; ergo me inferiorem illo in animum inducere non possum ut existimem. Restat igitur ut te oremus, Octavi, des iudicium; noster arbiter, noster Palemon sis, et hanc controversiam ex aequo et bono disceptes.

OCTAVIUS. — Non audeo me in istam contentionem interponere. Non nostrum inter vos tantas componere lites.

LAMBERTUS. — Ludens potes, si libeat: siquidem utroque nostrum non paulo es litterior.

GER. — Da hoc mutuae familiaritati: sine impetrerum.

OCT. — Quid vultis faciam?

GER. — Ausculta dum legimus scripta, et quae videbuntur commode dicta, approba; quae vitiose, improba.

OCT. — Fiat ea lege hac adeo, si neque laudatus superbia, neque reprehensione perstrictus bile intumescat.

LAMB. — Spondeo meam vicem.

GER. — Et ego meam.

OCT. — Recitet ergo Gerardus principem periodum.

GER. — « Ex tuo tam diuturno silentio, mi Petre, non levem traho molestiam, cogorque suspicari, ne forte res aliqua te mihi immutaverit, ut iam non sis qui adhuc fuisti, hoc est, mei cupidissimus ».

<sup>1</sup> Ex IACOBI PONTANI opere, cui titulus: *Progymnasmata latinitatis* passim retractavit hodiernisque moribus aptavit I. F.

OCT. — Legat suum initium Lambertus.

LAMB. — « Carissime Petre, propter tuum satis longum silentium non parum perturbor, et causam habeo suspicandi quod forsitan mutaveris voluntatem erga me pristinam, nec me sicut antea diligas ».

OCT. — Pressius Gerardus, et aliquando nitidius; ad cetera itote.

GER. — « Si erro, tu, quae proxima incederit occasio, eam noli praetermittere quin ad me scribas, et errorem hunc mihi eripias: si id non feceris, ne aegre feras quum te in posterum in meis inimicis numeravero ».

LAMB. — « Si me falsum habet isthaec mea suspicio, tu, quum primum licebit, te mihi per litteras aperi, et hanc opinionem ex animo meo evelle. Quod si praestare detrectaveris, ne succenseas si deinceps inimicorum te loco habuero ».

OCT. — Uterque haud inepte, at paulo melius Lambertus.

GER. — Sumus itaque pares hactenus. Ceterum aequa manu ex hoc proelio non discedemus.

LAMB. — Planum hoc, et ad victoriam maxime id interest.

OCT. — Ad reliqua procedamus.

GER. — « Pro mea parte ».

LAMB. — Barbarum.

OCT. — Corrige.

LAMB. — « Quod ad me attinet ».

OCT. — Recte.

GER. — « Quod ad me attinet, idem sum erga te, quem cognovisti a longo tempore ».

LAMB. — Barbarum et hoc.

GER. — Quid dicendum erat?

LAMB. — « Lampridem ».

GER. — Qui tam acutum videoas in meis lapsibus, video quos tu Ciceronianismos allaturus sis in medium.

OCT. — Turpe est doctori, aiunt, Lamberte; proinde te circumspicias, caute rem geras.

LAMB. — Haud reprehendissem, nisi me iisdem locis latine loquutum certo nossem.

OCT. — Absolve circuitum, seu comprehensionem istam.

GER. — « Nec me ulla res ab instituta semel et confirmata inter nos amicitia desiscere coget ».

OCT. — Lege quod sequitur in tua, Lamberte.

LAMB. — « Quantum meam personam attingit... ».

GER. — Barbarum.

LAMB. — Quomodo? An non sic loquimur: « Hoc negotium me attingit? ».

GER. — Hoc et similia dicimus quidem; verum non ideo statim proba est loquendi ratio qua tu uteris: olet merum rus. Cur non adhibuisti illud: « Quod ad me attinet? ».

LAMB. — Credebam hoc quoque romane dictum. « Idem permaneo in te, quem expertus es iampridem; nec me ab amore semel suscepto quidpiam aliquando absbrahebit ».

GER. — Oh, oh, oh! *Abstrahebit!*

LAMB. — *Abstrahet, abstrahet!* Phui, non adverteram; obstupesco; hui! obrepsti.

OCT. — Etiam non advertere vitia erratum est quoddam scribentium, quos convenit quam oculatissimos esse, et non solum scribere, verum etiam scripturam releggere bis, ter, quater, et emendare studiosissime.

LAMB. — Non tantum est flagitium istuc, quantum si ex inscita pecces.

OCT. — Esto.

GER. — Legam clausulam epistolii?

OCT. — Age.

GER. — « Haec breviter multis arduisque districtus negotiis exaravi; quum plus otii nactus fuerit et aliquid abs te litterarum accepero, id quod vehementer et cupio, et spero, longiores mittam. Vale ».

LAMB. — « Ista conscripsi in magnis laboribus; quando plus mihi vacuitatis contigerit, atque tu aliquid responderis, sicut

multum desidero et spero, prolixiores a me accipies. Valetudinem tuam cura diligenter.

OCT. — Servabitis promissa?

LAMB. — Utique.

OCT. — Tu igitur, Gerarde, ne tibi ut vix placeas; tu, Lamberte, ne ut vix excandescas. Quamvis semel iterumque minus latine quaedam inseruerit Gerardus, accuratus tamen epistolam contexit, et loquitur latinus quam Lambertus. Cede tui priores, cede palmam Gerardo, et iactura huius gloriola noli ad desperationem abuti, quod esset pusilli et abiecti animi, sed ad laborem ac navitatem; quo tanto plus alias honoris reportes, quanto ipsum victorem tuum superaverit.

LAMB. — Tuis consiliis parere certum est.

GER. — Io, triumphe!

## MEDICAE NOTAE

### De cibis tum ex regno vegetabilium ex regno animali desumendis.<sup>1</sup>

*Caro suilla* male audit ob glutinositatem; fumo exsiccata ob sal muriaticum sanguini est infensum et difficilioris censemur coctionis.

*Caro vervecina, aprugnina, vitulina, bubula, leporina, cervina, agnina* succum alimentarium satis copiosum suppeditant.

Animalium viscera, extremitates, partesque tendinosae ob rigidiores fibras difficillime coquuntur, aut in chylum mutantur.

*Gallinae, capones, gallus indicus, urogallus, perdices, turdi, alaudae, anseres, et anates iuniores* salubrem praebent succum et optime nutrunt.

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup. mens. Martii.

Inter pisces sua se commendant salubritate *salmo, trotta, lucius, perca, carpo, fundulus, mustela fluviatilis, halec*. Qui viscosi sunt, aut exsiccati, multum pituitae suppeditant, et concoctu difficiles sunt.

*Cancri* succulenti sunt et acrimoniam saluum obtundunt; *ostreae, cochleae et testudines* chylum pingue, sed paullo viscidum, in recessu tamen sal volatile obtinentem, praebent.

*Lac* optime nutrit, quo non datur praestantius. Neque enim opus habet ut in chylum abeat, sed sufficit si leviter in primis viis alteratum crassamentum caseosum deponat; reliqua autem sui parte sanguini confundantur. Verum quum ab acido aliorum ciborum, qui in una eademque mensa assumuntur, admodum alteretur et peregrinum in primis viis acquirat acorem, saepius mutato habitu in venenum abit et graviorum symptomatum auctor existit. Eapropter aut solum comedendum, aut mensa proscribendum.

*Caseus recens* terrestreitate sua retardat chylificationem; *inveteratus* salibus suis acrioribus turbulentas et inordinatas excitat in corpore fermentaciones. Uterque hypocondriacis et passionis hystericae obnoxii infensus censemur.

*Butyrum recens* facile distribuitur et optime nutrit.

*Ova tremula* parte vitellina nutrunt; sed albumen facile in duritatem concrescit. Fixa, aut indurata sale, acri coctioni primis in viis struunt insidias, et fermenta corrumpunt.

### De potu.

Ut coctio fiat in humido, et undulatorius sive tremulus palati et faucium fibrillarum motus — (in cuius imminutio vel augmentatione ratio formalis sitis consistit) — conservetur aut restituatur, potus inter comedendum subinde assumendum est, quo fermentum ventriculi paullulum diluatur,

(multis quippe languet appetitus, donec semel biberint), et assumpta accuratius et faciliter misceantur, atque fames cum lingua et salivalibus glandulis humectentur.

Primum autem inter alia potulenta sibi vindicat locum *aqua*, tum iure antiquitatis, tum salubritatis praerogativa, et in spectata potus medicus merito suo audit, quod lubricitate et flexibilitate particularum sese poris cuiuscumque sint figurae facile insinuet, acidum vitiosum temperet, salia diluat, pituitam fluidiorem reddat, bilis aestum demulcent, et sanguini humidas particulas restituat; superfluum autem tum per vias urinarias, tum per exteriorem corporis superficiem et ambitum iterum excernatur, et, quod caput rei est, nullibi acescat, ut ipsis etiam aegrotantibus, modo frigus eius non obstet, tuto propinari possit. Eligatur itaque *aqua fontana* valde limpida, tenuis et crystallina, quae levis et omnis odoris atque saporis expers est. Quod si forte particulas heterogeneas et limosas in recessu habeat, coctione emendetur.

Remoram autem haud exiguum iniiciunt calamo qui persuasum habent, aquam minus gratam et convenientem esse ventriculo, ipsumque chylificationis negotium potum expetere, qui praeter vim calefaciendi, virtute quoque polleat confortandi stomachum. Verum attende, queso, quid sibi velint obscuro illo termino confortandi ventriculum: multa enim sunt, quae diverso respectu dicuntur «stomachica», sive quibus vis tribuitur confortandi stomachum; sed quum diversi sint generis, explicandum erit quid sit confortare. Ipsum profecto ventriculum optime confortant, quae poros non alterant, eosque in figura et situ non mutant, nec tubulos obstruant, quo rectius de aqua, quam de aliis liquoribus dicetur. Quod si ad experientiam provocare velis, obtendens plures esse, qui aquam non possint ferre, et qui a potu aquae stomachi dolore vel inflatione conquerantur, per me facile id quidem licebit qui in re-

cessu habeo, quibus plumbea haec tela retundere possim. Primo enim facit pro me decantata regula: «Consueta etsi deteriora insuetis minus nocere solent»; deinde alia insoluti huius effectus subest causa, quae in ventriculi vitiosam dispositionem potius, quam in aquam redundat. Quippe si haec ob contumaces obstructions pororum ventriculi et intestinorum nequeat distribui, fluctuabit in primis viis alkali suo occulto, vel, rectius, insinuando de angustissimis poris assumptorum, ita ut plures eius particulae sola materia primi elementi sint cinctae, subitaneas effervescentias et inflationes excitabit, quod alii quoque liquores potulenti maiori saepius cum impetu facere solent.

Itaque haud peccavero si dixerim *vinum* et *cerevisiam* aquae postponenda esse; immo vel ob hanc solam caussam, quod in corpore nostro facile acescant, vix admitti posse pro potu ordinario. Vinum ergo inter ea merito refertur medicamina, quae aut iugulant, aut nocent, et quae rarius in usum vocari debent. Quamvis enim sale suo volatili et oleoso sanguini vigorem et activitatem superaddat, eiusque usum omnino improbare non possimus, nemo tamen est ex medicorum ordine qui ambigat, sanguinem et lympham ex crebriori vini usu acescere et ad coagulationem disponi, unde succus nutricius in capillaribus vasculis facile praecipitatus restagnat, restagnans plus acescit, acescens vicinos succos praeterlambentes inquinat, ut inde varia emergant phaenomena, toti oeconomiae animali fatalia.

WALDSCHMIDT.

Perfecta est liberalitas, ubi silentio quis regit opus suum et necessitatibus singulorum occulit subvenit; quem laudat os pauperis et non labia sua. Denique perfecta liberalitas fide, causa, loco, tempore commendatur, ut principium operis circa domesticos fidei.

S. AMBROSIUS.

## ANNALES

### Italianam inter atque Aethiopiam discrimen.

Novis Societatis Nationum suasionibus per tredecim virorum Consilium tum Italiae tum Aethiopiae propositis ut arma deponerent pacemque ferirent, utraque nationem ad hoc voluntatem suam declaravit; quum vero ad rem ventum est, ea dissensio intercessit, quam Madariaga, illius Consilii praeses et sequester, componere minime valuerit. Repetebat enim Italorum legatus ut actio unice inter duas partes fieret, de eiusque rationibus tantum Nationum Societas fieret certior; negabat autem deponi arma posse nisi certis pacis initiosis positis iisque induciis, quae militarem Italiae inspectionem tutarentur; obstitit vero alterius partis procurator, contendens nihil fieri debere nisi in ipsa Nationum Societate, a qua exigebat sollemnem declaracionem ad huiusmodi consilium suum accommodatam; secus sanctionum exacerbationem, ob sociale pactum ita iterum violatum. Consilium ex hoc rerum statu non melius exire se posse autumavit, quam sessionem suam differendo, spe fretum, futurum ut interim obstacula ab impervio itinere removerentur.

Itaque Itali impavide, tripartito agmine, in suo persistenterunt; in Somaliae regione hostium exercitu fuso ad Gianagobó flumen, Ducum atque God-Abbi oppida expugnarunt, et post munitissimam viam Sassebene-Bullaleh, unguibus et rostris a Nasibú principe defensam, longe lateque superatam, Dagabur urbem occuparunt ad Giggicam et Harrar tendentes; in Eritrea Abyssinorum copiis fortiter repugnatibus magna clade repulsantes, hinc ad Gondar urbem atque postea ad Gorgorā paeninsulam in Tanae lacu procurrentem; inde, per Aschianghi lacus provinciam,

Quoram ad urbem pervenerunt, atque per Alamatá magnis sex dierum itineribus ad Dessié, quo suas acies reduxerat Selassie Imperator; qui quidem in fugam se committens, ad Adis Abeba urbem imperii caput quum brevi hora rediisset, noctu et indidem, ferrivia, ad Gibuti Gallorum portum contendit, ubi in Anglicam navem desiliit, et in Palaestinam cum familia sua migravit.

Mutata hinc ex improviso rerum facies: Aethiopici regni urbs caput in praedonum manus traditur, qui caedes et incendia ubique effundentes eam diripiunt ipsisque exterorum legationibus minitantur, quae Italorum exercitum invocant, ut quo citius urbem occupet ordinemque restituat: quod die quinta huius mensis maii factum est.

Vespere ipsius diei Italorum Dux Mussolini, Romae, Italico populo ovanti et gratulanti universo orbi nunciabat bellum superatum fuisse, Aethiopiamque Italicae factam; in sequenti autem die nona, ex supremo Italorum consilio, Italiae in Aethiopiam omnem ditio decernitur, atque Italorum rex Aethiopum imperatoris nomine augetur.

Praetermittendum denique non est, die Dominica Resurrectionis sacra, per supremi Africani belli gestoris Badoglio edictum, servitatem, in Aethiopia omni vigentem, funditus abrogatam fuisse.

\*\*\*

### Post Germanicam actionem in Rhenana provincia.

In Germanorum populi comitiis suffragere omnia favorabilia gubernii actioni cessere; quod responsiones cum hoc exitu congruentes Genevam, ad Nationum Societatem circa Locarnense foedus, uti diximus, a se retractatum, misit. Eae, ut coniuncte erat, haud probanda visa sunt Galliae, quae asseverationes suas iteravit. Concreditum inde Angliae munus compe-

riendi quoque Germanicae affirmationes recipi possent, ut ad conciliationem via sternatur.

\*\*\*

### Hispanorum res.

In Hispania novus popularium legatorum coetus rei publicae supremam praefecturam Niceto Alcalá Zamora abrogavit; comitia itaque iuxta civitatis disciplinam ad novum rei publicae praesidem creandum indicta. Pro tempore res geret publici coetus praeses.

Interim a laboribus desertiones, manuum inter factiosos mixtio, vastationes, incendia non cessant.

\*\*\*

### Regia funera.

Diuturno morbo confectus diem obiit supremum Fuad I, Aegyptiorum rex, vir doctrina, prudentia civilibusque aliis virtutibus praestans. Ei succedit filius sexdecim annos natus Faruk I, qui propter aetatem suam in curatione regni erit.

VI Id. Mai. MCMXXXVI.

POPPLICOLA.



## VARIA

### Quae ratio sit quod Reipublicae forma quandoque sine sanguine, quandoque magnis caedibus mutetur.<sup>1</sup>

Non immerito quaeret aliquis quibus de causis forma Reipublicae quandoque absque tumultu mutetur, et sine caede et sanguine; quandoque vero nonnisi tanta cum difficultate ac tot caedibus, sive mutatione

<sup>1</sup> Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere *De republica disputationes ex prima decade T. Livii*, latine vertit H. BINDI.

illa transitus fiat a libertate ad tyrannidem, sive tyrannide ad libertatem: tanta enim diversitas huiusmodi mutationum esse solet, ut nisi historiae de iis testarentur, vix credere possemus.

Quum Romanorum imperium a regibus ad consules transferretur, soli Tarquinii urbe pulsi sunt; ceterorum nullus vel minimam iniuriam passus est. In aliis mutationibus longe aliter evenisse compertus. Ego vero causam huiusmodi diversitatum petendam esse credo ex modo, quo acquisitus fuit ille status Reipublicae qui mutandus sit. Nam si per vim partus fuerit, non sine multorum iniuriis acquireti potuit: itaque necesse deinde est in illius mutatione, ut qui iniuria affecti sunt, eam vindicare conentur; ex quo vindictae desiderio caedes tumultusque nascuntur. Sed quum populi consensu et voluntate sensim ad eum statum pervenerit Respublica qui iam mutandus est, non existit causa alium quemquam laedendi, quam primarios illos, qui suo statu atque principatu deiiciendi sunt. Huius generis fuit mutatio Reipublicae Romanae, quum imperium, pulsis regibus, ad consules transferretur; et Reipublicae item Florentinorum, quum anno p. C. n. 1494 Medicei urbe pellerentur. Nam quum illi quoque populi voluntate ad eam potentiam pervenissent, non opus fuit in illis loco movendis quemquam, praeter illos ipsos iniuria afficeri. Non sunt igitur admodum periculosae tales Rerum publicarum mutationes, sed illae sunt et periculosae et formidabiles, quae nonnisi cum vindicta multarum acceptarum iniuriarum fieri possunt; cuiusmodi exemplorum pleni omnes sunt historiarum libri, ut non opus sit aliqua adducere.

\*\*\*

### Aethiops.

Servum Aethiopem quidam putabat ita negligentia prioris domini decoloratum fuisse. Itaque summa eum cura lavare,

destringere et omni ratione anniti, ut sordes illas, quemadmodum credebatur, abs tergere posset. Verum mutare illum color em non valuit; Aethiops autem afflictus cura in morbum incidit.

Significat fabula, nullo pacto mutari ingenia et naturas, sed retinere insitas semper proprietates, et quasi personas attri butas sibi. Id etiam et apud Aristophanem:

*Non poteris rectum cancris inducere gressum,  
Nec levis horrentes echini reddere sentes.*

\*\*\*

### Pro iudicibus mensarum elegan tibus

ESCARUM ORDO:

*Iusculum ex ovi luteo.  
Gadus merlucius elixus, embammate Ge nuensi conditus.  
Tomaculum, variis oleribus saeptum.  
Pulli novelli veru assi cum solanulis tu berosis.  
Collyra Romana.*

\*\*\*

### Iocosa.

Amicus TUCCIO:

— Patruus meus in auro enat. — Indica mihi, quaeso, ubinam sint aquae in quibus lavatur.

Mater TUCCIO:

— Ne fundas aquam in focum: extin gues enim. — Ne timeas; haec aqua est fervens.

\*\*\*

### Aenigmata.

I

Frigore correptus prior ut flos floribus haeret, Et sole adverso plus adamante micat. Ultimus in doctrina alter, qui primus in arte. Toto laetantur hortus et ora tibi.

II

Si prius imbre volat conspersum, posterius fit. *Omnis et ipsa volat saepe sub aethera res.*

Aenigmata in superiore fasciculo propo sita his respondent: 1) *Noctu-a*; 2) *Cuni culus*.

### LIBRORUM RECENSIO

G. MERTEN. *Canta latine!* (Dümmlers, Berlin, 1935, in 16°, pp. 63, Pr. Mk. 1,50).

F. W. JUXICUS. *Der lustige Lateiner;* zweite, stark veränderte Auflage, besorgt von Dr. Wilhelm Becher (Ibidem, in 16°, pp. 64. Pr. Mk. 2,25).

Uterque libellus studet renovando latini sermonis usui in rebus cotidianis, in levissimis quoque: prior suppeditat triginta carmina e popularibus germanicis apte selecta latineque redita, quibus concinendis facile fructuoseque pueri, vel a primis unguiculis, exerceri possint; alter complura praebet salse iocoseque dicta, quibus legendis animi suaviter recreentur. Utrobi que latina lingua cum germanica componitur; at proculdubio emunctae naris magistri non pauca nigro signabunt lapillo, praesertim in amoeno illo hilarique sermone latino, quem alter libellus propinat. Utcumque, plaudendum iis, qui haec humiliora nos docere non deditantur, sed exemplo evincunt sermonem latinum non modo non esse demortuum, sed vivere, aptumque se praestare omnibus plane vel novissimae vitae usibus.

S. R.

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI. Ep. Porphyreonen.,  
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

## REGULUS

[6]

### ACTIO DRAMATICA HENRICI IOSEPHI COLLIN

(In Latinum convertit VALENTINUS FEHÉR).

Hostis statim fugere coepit, Romani cupidissime  
Sequuti sunt. At Regulus veritus, ne militum  
Ardor languesceret, aquila manibus signiferi  
Erepta velocissime procurrens sic intonat:

« Defendite sultis aquilam ! » Quom procedit longissime  
Et aquilam levato bracchio in hostis iacturus est,  
Hostes ex insidiis, tamquam timidi fores, inermia  
Clam subsequiti brachia ex aversione consecant.  
Nunc iudicate iam... tacetis? Quid hoc est silentium?  
Benigne vos facitis, cives; edepol multum valet  
Haec vostra atque est taciturnitas honesta Regulo.  
TU. Adhucne cogitat de nobis? — AT. Num hoc audetis querere?  
SE. Sane ille mortem non unquam timuit quidem.  
AT. Ecastor ille pro vobis vigilans nunc acribus  
Ocellis imbecillitates hostium circumspicit  
Et de Karthaginis ruina in caeco meditans carcere  
Modo idecirco sibi libertatem desiderat,  
Ut in ruinis stans fumantibus Karthaginis  
Triumphator monimenti causa tropea collocet,  
Quae mixta gaudio admiratione contemplentur posteri.

TU. Salvos sit diutissime. — AT. Ubi? numne in custodia?

MA. Mox eum videbimus. — TU. Oportet illum permutarier.

SE. De fortuna eius hoc die in senatu iudicabitur.

Si voltis illum fieri liberum, clamate patribus

Secundas adclamationes. Hoc ad rem iam prosperam

Conducet plurimum. Quae hoc loco dudum audistis modo,

Istaec sua quisque explanate diligenter in tribu;

Itaque de hac re secunda opinio volgabitur.

TU. Sic nos edepol volumus, Metellus enim vir istic quidem  
Est certe magnus, sed Regulus sane maior tamen.

SE. Quisnam, nisi ille, alias stetit ante moenia Karthaginis?

MA. Nam fieri potest, per illum ut Karthago peritura sit.

TU. Hei, quam basilica ac splendida erit celebratio!

Quom russum Romanis illum continget cernere.

AT. Equidem agerem, cives, pro vostra bonitate gratias,

Sed dulce laetitiae pondus minume solitumst mihi;

Vox haesitat, titubant pedes. Ubi estis, filii?

Itaque russum vestrum patrem mox videbitis.